


**05  
A  
1513**





18.

*Q.D.B.V.*

EXERCITATIONEM PHYSICAM,

*DE*  
**AERE,**

In illustri ad Albinum Athenæo,

*A.D. 3. Julii*

*A.S.M.DCLVIII.*

Horis Matutinis, in Audit. Min.

disquisitioni sistent publicè,

*PRÆSES,*

**M. JOHANNES CHRISTOPHOR. LETSCHIUS**  
Monsterberga Silesius.

&

*RESPONDENS*

**SALOMON HENSELIUS,**  
Aurimontanus-Silesius.

---

WITTEBERGÆ  
LITERIS JOHANNIS HAKEN,  
Anno Christi d<sup>o</sup> L<sup>viii</sup>.

798

17

156



EXTRICATIOM MUSICAL  
ANNA



05 A 1900



REDACTED

REDACTED

1931.4422



## I. N. J.



Elam nostram , pertexere  
animus nobis est. Ad Aeris ergo  
Affectiones , convertemus oculo-  
rum aciem , non exiguam inde-  
sperantes materiæ nostræ decla-  
rationem. In confignandis au-  
tem iis , Autores inter se , varijs  
scinduntur sententiarum divortiis.  
Nos, ut in hac varietate, quæ vera,,  
quæ vero falsa dijudicare possimus,

Affectiones Aeris considerabimus tūm illas quæ ex opinione ali-  
orum ipsi conveniunt, tūm quæ ex rei veritate illi attribuuntur,  
casq; , tām communes, quas habet cum aliis elementis, quām  
proprias ac speciales, quibus ab aliis distinguitur.

§. 2. Affectiones, duas potissimum, quas Aer cum aliis e-  
lementis habet communes, in scenam producemos. Prima est  
impuritas. Elementa enim omnia , ac proinde etiam Aer,  
in hoc mundo, impuritate prædita sunt. Fit hæc, non per solam  
peregrinarum qualitatum, absque suis subjectis, additionem, sed  
aliorum corporum accessionem. Fecit autem Dei gloriosi be-  
nignitas, non sine causa, ut impura existerent elementa, sed com-  
modi nostri gratia, quibus pura elementa parum aut nihil prodef-  
sent. Aqua pura enim esset insipida & potui inepta. Terra pu-  
ra non daret frugibus humorem, & ut multa paucis comprehen-  
dam, puro elemento nihil possit nutririri, nihil nasci. Quamvis  
autem dicto modo, Elementa non nisi impura sensibus nostris  
sunt obvia. statuendum interim non est, Elementa amplius non  
esse corpora simplicia, sed mista, propter alienorum corporum

**C**onjunctionem. Manet enim essentia eorum adhuc simplex, & a pluribus miscilibus non constituitur, quod ad misti corporis constitutionem, necessario requiritur. Coniunctio autem illa cum aliis corporibus, accidentalis plane est, & ad essentiam Aeris vel aquæ nihil facit, nec eam ingreditur, aut constituit. Quare non mitionem, sed accidentalem tantum copulationem, inferre potest.

§. 3. Secunda est immutabilitas. Non quidem absolutam ac omnimodam immutabilitatem attribuimus Aeri, ac reliquis Elementis, sed limitatam ac respectivam. Non negamus Aeri accidentalem quandam accidere posse mutationem, ob aliorum corporum conjunctionem, eo quod experientia abunde testetur, cum modo esse calidum, modo frigidum, modo humidum: Neque dicimus Aerem immobilem quasi consistere, nec locum suum mutare posse, cum fluidum sit corpus, quod aliis facile cedit, quaqua versus se diffundit, & spatia ab aliis corporibus deserta, replet. Neq; asserimus Aerem vel aliud elementum esse imutabile respectu causæ & ab extra, quasi nulla possit potentia mutari vel annihilari, quod ipsum de nulla est affirmandum creatura. Restringimus autem immutabilitatem r. ad eam, quæ dicitur ab intra & oritur à negatione principiorum internalium, quæ interitum minitantur, & ex se aliquando dissolventur. Talem omnino immutabilitatem aeri ascribimus, quippe qui corpus simplex est, omni mitione destituitur, ac proinde omnis talius modi corruptionis ac mutabilitatis, quæ misticis accidit, expers est. Et 2. per hanc excludimus ab aere, illam, quam communiter fingunt de elementis, transmutationem ac alterationem. ubi docent singula fieri ex singulis & inter se transmutari elementa, ut ex aqua fiat aer, ex aere ignis, aqua aut aliud quid, de quo tamen ipsi adhuc invicem digladiantur, uti videre est apud *Julium Pacium in Tomo Physic. Doctrinæ Peripateticæ lib. 3. de cœlo cap. I.* Talis enim corporum simplicium transmutatio, nunquam firma ratione, aut vero experimento probabitur. Quæ vero pro confirmanda sententia hac & contraria refutanda utramque paginam facere soleant, vide apud *Magnific. Et Excell.* Dn.



Dn. Sperlingum in Inst. Phys. l. 4. q. 3. p. m. 609. Nam singula hinc a-  
scribere, neque spatii hujus, neque propositi est.

§. 4. Speciales ac proprias Aeris nunc subjungimus af-  
fectiones, in quarum evolutione maxima invenitur sententiarum  
diversitas. I. Communiter attribuunt Aeri caliditatem, ejusque  
mentionem in aeris descriptio ne injiciunt, de qua tamen, non  
omnibus una animo sedet opinio. Nonnulli Aeri, summam af-  
scripserunt caliditatem, teste *Magiro in Comment. super Phys. lib. 3.*  
*cap. 3. p. 212.* Alii vero dicunt, caliditatem aeris non esse sum-  
mam, sed temperatam tum ob summam humiditatem, quæ in  
illo calorem obtundit, ne summus esse possit, tum collocationem  
sub igne, propter quam defectum motus velocissimi sentiat. Cum  
enim aer magis distet à Cœlo quam ignis, ideo tardius move-  
tur, & hinc non summum, sed remissum accipit calorem.  
Ne autem hi, quæ remissum calorem de aere nude videan-  
tur asseruisse, rationibus quoque suam stabiliunt sententiam.  
Dicunt enim, raritatem ac levitatem insequitur calor, quia  
omne rarum ac leve per se calidum est. v. *Bartholin. in En-*  
*chir. Physic. lib. 4. c. 21. p. 455.* *Jacchæum Inst. Physic. lib. 6. c. 2. p. 167.*  
Quæ duæ affectiones, cum aeri denegari nequeant, illi quoque  
calor concedatur, necesse est. Accedit deinde & hoc, quod si ca-  
liditas aeris negatur, solvit elementorum harmonia & concors  
illa discordia, cum duo hâc ratione essent frigida & unum tan-  
tum calidum, quod hactenus absurdum in natura parit.

§. 5. Verum si paulò exactius rem ponderamus, non po-  
test non patere, caliditatem neque summam neque temperatam  
aeris propriam esse. Sæpius enim omni destituitur caliditate,  
& maximo nos afficit frigore, nullum plane caliditatis exerens  
indictum. Et ipsi concedunt aerem frigidissimum esse hyberno  
empore, ita, ut tæris substantiæ, frigiditas insit, orta ex altera-  
tione. Proprium autem ejus si esset caliditas, quomodo abesse  
posset, & suum relinquere subjectum ita quidem, ut contrarium  
ejus loco in subjecto sit & dominetur? Nullum enim propri-  
um potest separari à subjecto suo naturaliter, ut receptus ha-  
bet Philosophorum canon. Falsum ergo est, abolita caliditate  
infer-

inferri posse frigiditatem. Quando autem aer calefacit, id non per se, sed per aliud ignem scilicet sibi adjunctum facit, de cuius praesentia caliditas, quæ proprium ignis est, testatur. Proprio enim praesente, essentia absens esse nequit. Contrariæ partis prior sententia, quæ aerem calidissimum esse statuit, operosa refutatione opus non habet, cum ipse sensus illi reclamet. Quomodo enim in Aere calidissimo, viventia sine damno degere possent, aut in montium cacuminibus, crescere gramina ac arbores? Nec sana ratio quiequam causæ illorum patrocinatur sed nobis potius favet, dum docet propria nullibi esse sine essentia, ex qua fluunt, & proinde etiam caliditatem, non sine igne.

¶. 6. Altera ex parte qui temperatam propugnant caliditatem, nihil magis proficiunt & priorum sententiam dum refutant falsa falsis negunt. Humiditas siccitati, non caliditati adversatur, quare & eandem obtundere nequit. Haec enim tantum qualitates quæ sunt contrariæ specie, ut caliditas & frigiditas mutuam inter se actionem & passionem habent, sic humiditas & siccitas, docente ex Aristotele Philip. Melancht. lib. 3. Physic. pag. 185. Hinc videmus etiam aquam ferventissimam non minus humectare, quam frigidam, in qua humiditas fervorem, nullo modo temperare, nedum obtundere potest vid. Clariss. Wendelinum in Contemplat. Phys. sect. 1. part. 1. c. 12. Locus etiam ad rei proprium augendum vel minuendum ne quicquam facit & circularis illa cœli circumratio, cum qua, juxta illos, cætera rapiuntur elementa, à cordatoribus Physicis jam dudum expensa est. Nec veritati consonum est, motum posse caliditatem efficere, aut ignem à natura supra aerem locatum esse. Ad fundamenta illorum reponimus, falsum esse quod raritatem ac levitatem necessario insequatur caliditas. Pumex enim rarus est ac levis, non vero calidus. Nix levis, sed frigida satis. Ventileves, neutram vero calidi. Neque deinde, eo dum caliditatem aeri denegamus, harmoniam solvimus à natura institutam, et mentalem illam, in illorum cerebro natam. Naturæ enim legi-

legimus vestigia, & aerem, prout in naturā invenimus examinamus ac declaramus, quæ nobis concordiam illam discor dem, nullib[us] præscripsit, aut observandam esse dixit.

§. 7 Plerique Aeri ascribunt humiditatem & quidem summam, majoremque quam in aqua, adeo quidem, ut Aer sit primum humidum, & humiditatis ~~exiguitatis~~ <sup>exiguitatis</sup> v. *Magir.* in *Comment. in Physic.* lib. 3. cap. 3. *Barthol. in Encycl. Physic.* lib. 4. cap. 21. *Kekerman:* in *System. Physic.* lib. 2. cap. II. & alios. Ostendunt, autem humiditatem Aeris, potissimum ex humili definitione, quam *Aristoteles* lib. 2. de Gener. & Corrupt. cap. 3. habet: Humidum est, quod difficulter suo termino continetur, facile alieno. Talem ergo aerem esse dicunt, cum tenuis sit, cuncta facile ne permeat & difficulter termino suo contineatur, facile alieno. Nec humiditatem estimari volunt ex irrogatione & humectatione, quod solenniter *Magirus loc. cit.* protestatur, sed & propriâ humili definitione. Concedunt aquæ suam humiditatem, sed Aeris majorem esse statuunt. *Bartholinus loc. cit.* dicit: Aqua adhuc faciliter certis limitibus includitur, quam Aer, interim aqua humectationem efficit magis in sensus incurrentem, quia in crassa hærens materia, corpora reddit madidiora extrinsecus humiditas aquæ: Aer autem virtute humectandi magis penetrat ad intima, quo aqua ob crassitatem pervenire nequit. Fundamento hoc presupposito, addunt deinde & hoc thema: Aer nunquam humiditate destituitur in sua natura constitutus, quod autem quandoque exsiccare videtur, ex accidente fit, quatenus halitibus siccis è Terra elevatis refertus est.

§. 8. Ast, neq; huic sententia, suffragii nostri calculum  
adjicere possumus, ducti veritatis amore. Si viri supra citati do-  
ctissimi, humiditatē aeris per liquorē explicarent, & fluidū solum  
esse corpus, cū Erasmo docerent, nos non haberent contradicen-  
tes. Ita autem ille in *Adagiis Tit. de Inconstantia* p. 753. Sunt, qui pu-  
tant



tant liquidum, primaria notione esse idem quod humidum, & deducunt à λείχαιν. Mihi vero ab eo tempore, quo apud Prudentium eandem vocem toties attributam videbam Aeris, spiritui, menti, aliud in mentem veniebat, nempe eam proprie valere fluxile, ἐνόγισον, facile in omnes partes loci sese spargens, ut respondeat suo συρεγύντεκτῷ liquare. Ausus etiam non semel sum inter æquales meos asserere, descriptione illa, (difficulter teneri termino suo, facile alieno) liquorem potius notari, quam madorem sive humidum, aquæ, teste Arist. Met. 4. maxime proprium; cum liquor proprius aquæ minime sit, sed potius aeris, ac igni peculiaris & indivulsus insit. Quo enim corpus rarius est, hoc faciliter alieno formatur termino. Hæc ille. Verum ab hac mente plane sunt alieni, nec commodum hunc sensum Descriptioni Aristotelicæ concedunt, sed pro vera pugnant humiditatē. Fundamenta eorum paulo exactius aspicere liceat. In humidi Definitione maximam ponunt fiduciam, eamq; bene Aeris applicari posse demonstrant. Nos autem illa contenti esse non possumus, cum latior sit suo Definitio & aliis etiam competit, quæ humida neutram sunt. Inclusio enim ista in alienis terminis, aut propriorum terminorum interruptio, plane nihil ad humiditatem facit. Ignis terminis se includi nequaquam patitur, sed promptissime ac facillime hinc & unde recedit, & in poros se insinuat, nemo tamen sana mente prædictus eum humidissimum esse dixerit. Glacies humida est, & tamen terminis suis continetur. Quamvis enim nonnullas siccias sibi admixtas habeat exhalationes, plus tamen adhuc habet de humiditate quam siccitate, quod effectus eius, qui est humectare, tactui testatur. Concidunt ergo omnia quæcumque ex insufficienti hac Definitione deducunt argumenta. Deinde Aerem nunquam humiditate destitui, verisimile non est. Nam Aer per se, absque alienæ qualitatis, aut humidi corporis adhesione, non humectat. Lintum enim Aeris vaporibus aqueis non replete si exponatur, ne minimum quidem humiditatis contrahet ab aere, sed potius humiditatem esse exhaustam experientia docebit. Quod autem exsiccationem illam halitibus siccis è terra elevatis ascribit, causæ illorū parum patrocinatur, & nihil aliud



aliud exinde probant, quam aerem ex se & sua natura non  
exsiccare. Ostendant autem, ullibi Aerem, ab aqueis va-  
poribus liberum, humectasse, & sponte in illorum sententiam  
manibus pedibusque descendemus. Quod vero quam diu  
non fit, ex propriis operationibus qualitates aestimamus &  
sensuum statim judicio.

§. 9. 3. Prædicant alii de Aere frigiditatem, quæ sen-  
tentia communiter attribuitur, Cardano, Senecæ, Bedino Gallo-  
is, quibus quoque pro confirmanda sententia sua, non desunt  
rationes. Dicunt enim in secunda regione aërem quam ma-  
xime secundum naturam esse affectum, ac proinde ibidem de  
eiusdem natura ac qualitate judicium esse petendum. Frigus  
autem ibi invenitur ut plurimum, quare & in sua natura frigi-  
dus erit. Urgent deinde quod illa qualitas aëri naturalis sit,  
ad quam redeat amoto impedimento. Hanc autem solam  
frigiditatem esse, inde ostendunt, quod Aer calefactus diur-  
no tempore, nocturno iterum reddatur frigidus & qui æstivo  
mirum in modum erat calidus, hyberno iterum ad suam re-  
deat frigiditatem. Addunt tandem aërem nisi sua natura  
frigidus esset, cor nostrum non posset refrigerare, nec inspira-  
tioni inservire.

§. 10. Verum hujus opinonis rationes tantæ non sunt  
quo nobis persuadere possint, frigidum esse à natura Aerem.  
In media regione naturam aeris, puram, atque integrum in-  
veniri posse, vix probabitur, cum in illa vapores multi, varia  
meteora, & id genus alia reperiantur, adeo quidem, ut ibi-  
dem aer purior non sit, quam in infima regione. Et experi-  
entia testatur, homines altissimos montes ascendentes, in me-  
dia aëris regione per bene aërem haurire potuisse, quod non  
factum fuisset, nisi aër aliena habuisset adjuncta corpora.  
Quod autem nocturno & hyberno tempore aer reddatur fri-  
gidus, non probat, aerem illud ex naturæ instinctu facere,  
cum neque hyeme, neque nocte purus & ab adventitiis im-

munis sit corporibus : Sed ostendit saltem , eum modo fri-  
gidum modo calidum esse posse. Denique quod aér pro-  
pter respirationem ex sua natura frigidus esse debeat , nos  
non stringit. Negamus enim Aerem respirationis esse mate-  
riam & sine admixtis atomis aquaeis cor refrigerare posse , de  
quo plura suo loco.

S. 11. 4. Eligunt alii medium inter commemoratas  
sententias viam , ita sentientes. Aer ad caliditatem & frigi-  
ditatem , humiditatem & siccitatem se haber indifferenter. Ve-  
ritati autem hæc cum sit consona eandem merito approba-  
mus. Videtur Aer sæpius calefacere , nonnunquam frigefac-  
cere , modo humectare , modo exsiccare , non tamen id ex sua  
præstat natura. Effecta illa testantur de qualitatibus , à qui-  
bus proveniunt. Qualitates autem & propria , de suis testan-  
tur Subjectis ac essentiæ , cuius propria sunt , & quam imme-  
diatae conseqvuntur , eique inseparabiliter inhærent. Quando  
ergo Aer calefacit , caliditas in aere , ex qua effectus ille pro-  
manat , testatur de igne. Eadem ratione Aer , quando frige-  
facit , continet quidem frigiditatem , sed illa aquæ proprium  
est , adeoque ubi frigiditas est , ibi aqua est. Quæ omnia tam  
clara sunt , ac manifesta , ut negari non possint , nisi quis velit  
aliquam priorum migrationem de Subjecto in Subjectum ,  
absurde introducere.


S. 12. Numerant 5. inter Aeris Affectiones etiam , le-  
vitatem ac Subtilitatem ; Et quidem non immerito , cum u-  
traque manifestæ veritatis comprobetur testimonio. Cedit  
corporibus locum mutantibus & minutissimas etiam rimulas  
replet ac permeat ne aliquod maneat in natura vacuum. Ter-  
ræ inclusus inquietus est , ac multo conamine egressum moli-  
tur. Ascendit super aquam ac terram , & suam ostendit le-  
vitatem . Nec levitati ejus quicquam obest , quod nonnun-  
quam in foveas , aut puteos , aqua carentes , descendat , cum  
id non per se , & propter adjunctam aliquam gravitatem faci-  
at ; sed

at; sed solum per accidens & vacui evitandi gratia. Sedulò enim natura laborat ac studet, ne aliquod, sine corpore maneat spatum. Hinc corpus unum alteri illico succedit ne aliqua accidat interruptio. Quam conjunctionem, ut retineat natura, varia tentat saepius & mira. Edolio, vino abunde replete & in inferiori tantum loco perforato, nihil effluit, ne vacuum in superiori vasis parte maneat. Per fistulam, primo aerem attrahimus, quo repleta erat, deinde mox sequitur cerevisia, quæ quamvis sua natura gravis sit, ascendit nihilominus ne vacuum maneat in fistula. Sunt ergo propter hunc ascensum, cerevisia levis dicenda non est, ita & nec aer gravis nominandus est, quamvis interdum per terræ cavernas descendat.

S. 13. Denique 6. Locum Aeri infra cœlum, supra terram ac aquam, qui assignant, recte faciunt. Extendit enim se vastissimum illud Aeris spatum à superficie globi terreni usque ad concavum lunæ. Non enim cum Averroe facimus, qui l. 2. de cœlo Comment. 94. aerem calidissimum non esse, probaturus, ab ejus remotione, à circulari motu cœli argumentum petit, & sic cum ceteris Peripateticis, aliud corpus inter aerem & cœlum intercedere putat, ignem scilicet quem communiter sub concavo lunæ commorari discunt, de quo tamen, nec Scriptura, nec Ratio nec sensus, ullum nobis documentum exhibent. Ignem propter suam levitatem ascende-re concedimus; sed ad concavum lunæ usque tendere, ac ibi suum locum naturalem occupare, est quod negamus. Vacuum enim spatum ibi pro novo igne datur nullum. Est etiam revera ignis levissimum elementum, non tamen propterea supremum statim debet occupare locum. Mundus enim & corpora in illo, non sunt juxta levitatem ac gravitatem disposta, alias aqua nostra totam ambiret terram. Manet ergo Aerem Cœlo esse vicinum, & à cœlo ad globum usque terrenum sese extendere. Plura nunc de Aeris Effectiōibus ac operationibus esent differenda, quomodo scilicet aer cum atomis aqueis

aqueis attractus respirationem promoveat, soni sit vehiculum, ejusque Subjectum primarium, suppleat vacuum, recipiat tamen influentias cœlestes quam effuvia terrestria, eorumque interventu minutissimos pervadat meatus, caloris suffocationem prohibeat, succum blandiorem per partes universas diffundat, & sic secunditatem frugum promoveat. Hæc omnina autem, tanta cum sint, ut peculiarem tractationem requirant, & brevi commemoratione magis obscura, quam clara reddi videantur, nihil de iis hac vice proponemus, perlungationem illorum, commodiori reservantes occasione. Tantum.

**SOLI DEO GLORIA.**



OS A 1513

ULB Halle  
003 778 509

3



VDTZ 6cm





**Farbkarte #13**



18:  
Q. D. B. V.

EXERCITATIONEM PHYSICAM,

*DE*  
**AERE,**

In illustri ad Albinum Athenæo,

*A. D. 3. Julii*

*A.S.M.DCLVIII.*

Horis Matutinis, in Audit. Min.  
disquisitioni sistent publicè,

*PRÆSES,*

**M. JOHANNES CHRISTOPHOR. LETSCHIUS**  
Monsterberga Silesius.

&

*RESPONDENS*

**SALOMON HENSELIUS,**  
Aurimontanus-Silesius.

---

WITTEBERGÆ  
LITERIS IOHANNIS HAKEN,  
*Anno Christi dicitur LVIII.*

798

17:

658